

maculatis pubescentibus inferioribus oblongo - spatulatis , superioribus ovato-cordatis , *DC. hort. ined. t. 64. f.* Hab. .... Nobis ex hortis Belgicis missa sub nomine *P. angustifolia*. Ab ea distincta et a pluribus aliis cum *P. angustifolia* et officinali commixtis de quibus alio loco disseram.

(175) *RANUNCULUS BULBOSUS*,  $\beta$ . *VILLOSUS*. Hæc varietas primo aspectu distinguitur pilis numerosissimis quibus est ex omni parte cooperta : vulgaris in locis sterilibus Galliæ australioris. - Omnes *Ranunculi* species hic memoratas in horto Mouspessulano descripsit egregius discip. Biria, Doct. med., in dissertatione inaugurali cui titulus : *Histoire naturelle et médicale des Renoncules. Montpellier 1811. 4.<sup>o</sup> avec 3 planches, à Paris chez Kœnig.*

(176) *RHAMNUS INTEGRIFOLIUS*. *R. inermis*, foliis integerimis coriaceis ellipticis aut oblongis, junioribus planis, adultis cymbæformibus, floribus apetalis, pedunculis 7-8-floris, *DC. hort. monsp. ined. t. 16. 5.* Hab. in Nova Hispania. Seminibus ex horto Madritensi apud nos introductus. Ad *Alaternorum* sectionem referendus. Frutex humilis erectus; folia sempervirentia; flores parvi; fructus ovatus pisi magnitudine.

(177) *RHUS HETEROPHYLLUM*. *R. foliis compositis*, foliolis solitariis ternatis pinnatisve, petiolo apice subalato, floribus abortu dioicis, *DC. hort. monsp. ined. t. 71. 5.* Hab. in America meridionali. Fruticem hunc elegantem ex benevolentia Aug. Imp. JOSEPHINÆ habuimus. Floruit mense junio, sed semina non protulit. Folia glaberrima sempervirentia minus composita in parte fruticis inferiore quam in superiore; racemi ad axillas superiores et versus apicem ramorum anni præteriti conferti et racemum constituentes.

(178) *ROBINIA PSEUDACACIA INERMIS*. *R. spectabilis*, *bot. cult. 6. p. 140.* eundem habitum et eosdem omnino characteres ac vulgaris exhibet, et ob ramos longissimos inermes multo varietati spinosæ anteponenda in usu agrario, nempe ad folia pabuli loco pro animalibus domesticis colligenda.

(179) *ROBINIA PSEUDACACIA TORTUOSA* ramis tortuosis foliisque undiquaque versis et inflexis dignoscitur. Hanc spectabilem varietatem ad hortorum ornamentum aptam seminibus